

DISSERTATIO II.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

199. Matrimonium a matre nomen accepit, quod licet patris sit providere liberis de hæreditate, unde patrimonium; matris tamen munus sit, ad certam ætatem enutrire prolem; sive, ut ait Gregor. IX. cap. *Ex Litteris* 2. de convers. Infid. quod infans matri specialiter onerosus sit ante partum, dolorosus in partu, et pluribus annis post partum laboriosus. Alio nomine dicitur *conjugium*, quod uno veluti iugo conjuncti conjuges conveniant ad sustinenda matrimonii onera, ineantque individuum vitæ societatem. Dicitur quoque *nuptiæ* a nubendo, id est, velando, quod virgines tradendæ in matrimonium tegi velo, tanquam nube, solerent ex S. Isidoro L. 2. de offic. Eccles. c. 20. n. 6. (opp. t. 6. p. 454. ed. de Arevalo.) sive id pudoris gratia fieret, ut factum a Rebecca observat S. Ambros. L. 1. de Abrahamo c. 9. sive in signum subjectionis et obedientiæ, quo modo mulier 1. Cor. 2. jubetur orare velato capite, quia virum habet supra se, cui subjecta est. Cum vero sponsalia sint quædam ad matrimonium dispositio, et veluti via, visum est ab aliorum Theologorum methodo recedere, qui prius de matrimonio, quam de sponsalibus disserunt; sed prius de his agat dissertatio, exemplo Gregor. IX. qui in IV. Decretal. ubi de matrimonio sermo est, a sponsalibus sumpsit exordium.

Præmittemus tamen de hoc sacramento summam doctrinæ catholicæ ex Conciliis FLORENTINO et TRIDENTINO.

*Decretum Concilii Florentini de Matrimonio sub Eugenio IV. an. 1439.
pro Armenis.*

Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Causa efficiens matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsentibus expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

*Canones Concilii Tridentini de sacramento Matrimonii Sess. 24.
die 11. novembris an. 1563. sub Pio IV.*

I.

Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediunt, et dirimant; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

V.

Si quis dixerit, propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero alii nupserit; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

IX.

Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractum validum esse non obstante lege ecclesiastica, vel voto; et oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patitur nos, supra id quod possumus, tentari.

X.

Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel coelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut coelibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.

XI.

Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, et alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, dampaverit; anathema sit.

XII.

Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos; anathema sit.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

200. Sponsalia a spondendo sic dicta sunt, L. 2. ff. de Sponsal. quod moris esset antiquis stipulari et spondere sibi uxores suas. Unde et Sponsi Sponsæque appellatio nata est L. 3. ff. h. t. Sumuntur etiam 1^o. *improprie* pro muneribus sponsalitiis, quæ Sponsæ a Sponso dari solent, quò sensu intelligendum illud L. 1. Reg. c. 18. *Non habet rex sponsalia necesse*, id est, non est necesse, ut David largiatur munera filiæ suæ, sive Saulis

regis, quam habiturus erat uxorem. 2º. *Latius* pro matrimonio rato, sive nondum per copulam carnalem consummato, ut c. 13. de Præsumptionib. Hoc sensu Matth. 1. dicitur *desponsata Maria mater Jesu Joseph*. Sponsalia sic sumpta dicuntur *sponsalia de præsentibus*, et primo contracti matrimonii die sponsi et sponsæ appellantur. 3º. *Strictius et magis proprie* pro contractu de ineundo matrimonio, sive pro futuri matrimonii promissione mutua, dicunturque *sponsalia de futuro*, de quibus tantum nobis sermo erit.

ARTICULUS I.

QUID SINT SPONSALIA DE FUTURO? QUEM PARIANT EFFECTUM ET QUAM OBLIGATIONEM?

201. *Dico I.* Sponsalia de futuro sunt promissio vera, voluntaria et deliberata, mutua, expressa signo externo sensibili, futuri matrimonii inter personas jure habiles. Ad sensum hujus descriptionis breviter dici solent: *Promissio mutua futuri matrimonii*. Ita quoad rem auctores communiter. Nec dissentit hæc descriptio L. 1. ff. de Sponsal. ubi dicuntur *mentio et repromissio futuri matrimonii*; nec etiam illi, quam dedit Nicolaus I. can. 3. caus. 30. q. 5. *futurarum nuptiarum promissa et fœdera*; utriusque enim idem est sensus, qui illius, quam primo loco posuimus. Dicuntur igitur

1º. *Promissio*: quia non sufficit simplex propositum, sed requiritur animus, sive voluntas se obligandi.

2º. *Vera*: non enim sufficit ficta, dum quis mere externe promittit sine animo promittendi sequæ obligandi; actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum L. *Non omnis* 19. ff. Si certum pet. et alibi. Deinde contrahuntur sponsalia voluntate atque consensu L. *Nuptias* 30. ff. de R. J. Sed ubi quis fecte promittit, non habetur voluntas et consensus; ergo nec sponsalia. Unde infertur, eum, qui puellæ matrimonium, solum externe sine animo se obligandi ad contrahendum cum ipsa matrimonium, promittit, licet peccet graviter, si fictio se exterius non prodatur, eo quod in re gravi decipiat; et pro injuria, vel damno, si quod ex deceptione incurrat, satisfactionem præstare teneatur; ad matrimonium tamen contrahendum in foro interno non obligatur, extra casum, quo damnum deceptæ illatum resarciri aliter non potest, quam contracto matrimonio. Dixi: *in foro interno*; nam in externo, nisi fictionem probet, compelli potest ad matrimonium; quia in hoc præsumitur adesse animus conformis promissioni L. 7. ff. de Supellect. leg.

3º. *Voluntaria et deliberata*, sive cum sufficienti advertentia et libertate, hoc est, tali, qualis sufficit ad peccandum mortaliter; sponsalia enim sunt actus humanus, et pariunt obligationem gravem ad sui impletionem; ergo voluntaria et libera esse debent. Hinc invalida sunt sponsalia contracta a destitutis usu rationis, amentibus, plene ebriis, ob defectum libertatis et consensus ab usu rationis, quo privati sunt, pendentes. Qui per vim absolute coguntur, ex defectu consensus, ex errore circa substantiam personæ, aut etiam circa qualitatem, si hæc in personæ individuum, seu substantiam redundet, ut, si puella ideo promittat, quia alterum putat certi nobilis,

vel principis filium, aut primogenitum; vel si qualitas sit unicus finis contrahendi, ut si juvenis honestus opibus præpollens quærat affinitatem cum familiis illustribus, ideoque promittit puellæ se illustri sanguine natam dolose mentienti: quia talis error consensum tollit L. *Si per errorem* 15. ff. de Jurisd. omn. Jud. et L. 9. Cod. de J. et F. J.

4º. *Mutua*: sponsalia enim ex natura sua sunt contractus mutuus et reciprocus, juxta L. 1. ff. h. t. ubi dicuntur futuri matrimonii *repromissio* et can. 3. caus. 30. q. 5. dicuntur *promissa*, non promissum, quod reciproco duorum consensu constant. Inde si Titius matrimonium promittat Caia, et hæc acceptet sine repromissione, neutra pars obligabitur; cum enim contractus sponsalitiis sit onerosus et reciprocus, claudicare non potest. Deinde promissio Titii erat solum conditionata, scilicet, si repromittat Caia; non enim censetur intendisse obligationem aliam, quam contractus sponsalitiis, qui est ex natura sua reciprocus et mutuus. Quod si tamen promissio Titii fuisset absoluta et gratuita, atque a Caia accepta, ille solus obligabitur quidem, at non vi sponsalium, quæ tunc nulla sunt; sed vi promissionis simplicis.

5º. *Expressa signo externo sensibili*: nullus enim contractus inter homines fit sine signo hujusmodi; cum sine hoc consensus unius non possit innotescere alteri. Sufficiunt autem sive verba, sive aliud quodcumque signum, quod utriusque consensum alterius sufficienter exprimit; quale esse potest traditio et receptio annuli, sive, ut dici solet, *subarrhatio*: quia licet ea ex se sit signum æquivocum et insufficiente, cum ex aliis causis, et amoris etiam inhonesti causa a concubinariis fieri possit; si tamen vel ex verbis, aut aliis signis tradentis, vel ex circumstantiis ex instituto fit, in aliquibus locis pro mutuae promissionis signo assumitur ex consuetudine; quæ, et similes circumstantiæ, in quibus ea traditio et receptio, sicut et mutua manuum correctio, missio jocalium, etc. fit, attendi debent. Wiestner hic n. 38. alique et arg. c. *Ex litteris* 7. et L. *Semper* 34. ff. de R. J.

Sed *taciturnitas* non est semper signum consensus; quia is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur, R. 44. de R. J. in 6. Quare illud R. 43. qui tacet, consentire videtur, intelligendum est, si agatur de solo tacentis commodo; sed in sponsalibus agitur etiam de commodo alterius sponsi, agique potest de incommodo tacentis. Unde quoad taciturnitatem inter Doctores convenit *primo*: si Caia ad promissionem Titii omnino taceat, non censeri contracta sponsalia; eo quod in iis, quæ præjudicium afferre possint, taciturnitas non habeatur pro signo consensus, excepto casu, quo tacens, si dissentiat, loqui teneretur, arg. L. *Filiusfamilias* 8. ff. de Procurator. Atqui hic Caia loqui non tenetur. E contra *secundo*: Caiam tacentem consentire præsumi, si nomine ipsius præsentis contrahant ejus parentes, quin Caia contradicat c. unico §. ultimo, de Despons. impub. in 6. Et ratio est, quod ex una parte, cum parentes liberos suos plurimum diligant, his optime consulere præsumantur; ex altera vero loqui et mentem suam explicare teneantur liberi, si dissentiant, ne parentum acta videantur contemnere. An idem teneat, si parentes desponsent liberos absentes, et hi de sui desponsatione redditi certiores non contradicant, quædam est auctorum dissensio. Sed immerito; si enim ideo præsentem consentire censeantur, quod ob reverentiam parentibus debitam loqui teneantur, si dissentiant; etiam sic cen-

sendi sunt consentire absentes, postquam de sui desponsatione certiores redditi non contradicunt; cum et hic æque reverentiam debeant parentibus; ac proinde declarare mentem suam teneantur, ac præsentem.

6º. *Inter personas jure habiles*: quales illæ solæ sunt, quæ valide et licite eo tempore inire matrimonium possunt, pro quo promittunt se inituros. Unde qui impedimento vel dirimente, vel etiam solum impediendo prohibentur, quando contrahunt sponsalia, illa invalide contrahunt; nam promissio faciendi illicitum, vel impossibile non obligat: si tamen impedimentum sit tantum *temporale*, vel juris positivi et dispensabile, fiatque promissio solum de contrahendo matrimonio, postquam ejusmodi impedimentum cessarit lapsu temporis necessarii; vel per dispensationem fuerit sublatum, non est invalida promissio. Sic impuberes post septennium valide contrahunt sponsalia de matrimonio contrahendo tempore pubertatis. Sic qui vovisset castitatem usque ad annum ætatis trigesimum, valide intra illud tempus contraheret de ineundo matrimonio post annum trigesimum. Sic alio impedimento ligati promittere sibi possunt matrimonium sub conditione dispensationis, si sit impedimentum, in quo dispensari potest, et solet, et simul adsit justa causa dispensandi: quia illa sponsalia sunt sub conditione possibili et honesta et relata ad tempus illud, quo habiles erunt, docetque praxis, hujusmodi contractus sæpe fieri sub conditione, si princeps ratihabeat. Covarr., Sanchez, Wiestn. hic aliique communiter. Et merito: quia neque turpia, neque impossibilia reputanda sunt, quæ a principe ex justa causa frequenter peti et impetrari, ut dispensationes in plerisque impedimentis jure eclesiastico introductis, consueverunt. Denique licet observatio legis fere magis honesta sit, quam super ea impetrata dispensatio; hæc tamen, quod juri deroget modo ab ipso jure approbato, inhonesta dici non potest. Unde leges, quæ contra afferri posse videntur, de iis conditionibus intellige, in quibus non solet dispensari, vel non potest.

202. *Dico II.* Ex sponsalibus valide contractis duplex præcipue effectus nascitur. *Primus* est obligatio justitiæ contrahendi suo tempore matrimonium cum persona, cui promisit. Ratio est, quia sponsalia sunt promissio mutua, onerosa, acceptata, dans mutuo jus proprietatis ad rem; ergo obligant ex justitia: an graviter, an leviter, dicitur infra. *Secundus* est impedimentum publicæ honestatis, quod est propinquitas quædam personarum juris ecclesiastici proveniens ex sponsalibus (item matrimonio rato) vi cujus neuter sponsorum valide contrahit cum consanguineis alterius. De jure novo Tridentini Sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 3. oritur tantum ex sponsalibus validis; nec excedit primum consanguinitatis gradum, si oriatur ex sponsalibus *de futuro* (nam quoad sponsalia de præsentem nihil novi statuit in hac re Trident.) hoc est, solum afficit personas in primo gradu consanguinitatis conjunctas sponso vel sponsæ; ita ut sponsus contrahere possit cum omnibus consanguineis sponsæ suæ, exceptis tantum matre, filia, et sorore sponsæ: et hæc similiter vicissim cum consanguineis sponsi, exceptis ejus patre, filio, fratre. De jure antiquo vero, ut liquet ex c. unico h. t. in 6. oriebatur hoc impedimentum etiam ex invalidis: item se extendebat ad quartum gradum inclusive c. unico. cit. et c. ult. de Consanguinit. et Affin.

203. *Dico III.* Obligatio justitiæ orta ex sponsalibus est gravis. Ita S. Thomas in 4. d. 27. q. 2. a. 1. et communiter Doctores id desumentes ex c. *Præterea*. 2. h. t. ubi ab INNOCENTIO III. *Hi, qui de matrimonio contrahendo pure et sine omni conditione fidem sibi mutuo dederunt, commonendi, et modis omnibus inducendi dicuntur, ut præstitam fidem observent*, haud dubie, eo quod ad hoc sub gravi peccato teneantur. Et ratio est, quia sponsalia sunt contractus initus de re, sive materia gravi; ex hujusmodi vero contractu, si materia gravis sit, nascitur obligatio gravis justitiæ; ut, qui injuste resilit, fidem datam non servans, non solum contra fidelitatem, sed etiam justitiam graviter delinquat.

Neque opponas jus civile, juxta quod, qui sponsalibus obligatus est, conditioni renuntiare, et postea cum alia contrahere permittitur L. 1. C. de Sponsal. Nam hic standum est jure naturali, et canonico, quo in hac materia utimur; juxta primum enim oritur obligatio naturalis; et vi alterius nascitur impedimentum, dirimens quidem respectu consanguinearum sponsæ in primo gradu et vicissim, Trid. cit. concl. præc., respectu aliarum vero reddens matrimonium illicitum; et datur actio contra resiliere volentem. Unde in hac re correctum est jus civile a canonico.

Sed ex his duplex questio subnascitur: 1º. Quo tempore implenda sit promissio et obligatio sponsalitia? 2º. An sponsorum uno renuente implere compelli possit exigente altero? Itaque

204. *Dico IV.* Si mutuo contrahentium consensu nuptiis præfixus est certus terminus temporis, hic observandus est, nisi postea aliter inter eos conveniret, vel justa causa excuset: si vero non sit præfixus certus terminus, per se loquendo tunc tantum implenda probabilius est promissio, quando pars altera, cui facta est promissio, id exigit, idque si commode possit.

Pars 1º. certa est, arg. L. *Trajectitiæ* 22. ff. de O. et A. L. *Magnam*. 12. C. de contrahend. stipul. c. 10. h. t. et patet ex natura contractuum.

Pars 2º. prob. Quia hoc generale est in omni debito, cui solvendo certa dies præfixa non est, ut solum tunc teneatur solvere debitor, quando exigit creditor, L. *Debitorum præsentem*. 40. C. de pignorib. juncta Glossa. Quando enim creditor novit debitum, nec tamen exigit, quando commode exigere potest, dilationi solutionis consentire censetur. Prædicta tamen lex *Debitorum*, pro foro conscientie sic intelligi et limitari debet: nisi creditor ex justa causa, v. g. timore petere non audeat, vel oblitus sit debiti; fieri debet solutio statim, hoc est, quamprimum commode potest. Ideoque dixi: *per se loquendo*. Si enim pars altera non exigeret impletionem sponsalium ex verecundia, vel ex metu reverentiali, ut quandoque in feminis accidit; vel si est in periculo gravi incontinentie, nisi cito matrimonium contrahatur, per accidens urgebit obligatio statim contrahendi, licet executio expresse non petatur.

205. *Si ais 1º.* L. *Præsentem* cit. loquitur de pignoribus, ut constat ex tit.; ergo huc nihil facit; sed erit obligatio matrimonii contrahendi primo, quo potest, tempore.

R. N. *Cons.* Licet enim loqui videatur de debitoribus, qui pignora dederunt; initio tamen hæc regula generalis ponitur: *debitorum præsentem prius denunciationibus conveniendi sunt*; a qua regula generali nullibi excipitur

debitum ex sponsalibus contractum. Ergo parte altera tacente, non denuntiante, hoc est, non exigente impletionem sponsalium, ea implendi non est obligatio.

Si ais 2º. L. 14. ff. de diversis Regulis Juris dicitur: in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, presenti die debetur; ergo.

R. D. Ant. Si creditor ita velit, et exigat *C.* si taceat, non exigat, cum commode possit *N.* Tunc enim dilationi consentire censetur. Sicque illa *L. 14.* optime conciliatur et concordat cum *L. Debitores* cit.

Si ais 3º. Qui votum fecit nullo præfixo termino temporis, tenetur statim, ac potuerit commode, implere; ergo et promittens matrimonium nullo determinato tempore, quo implenda sit promissio, statim, cum commode poterit, contrahere. *Prob. Cons.* Ideo primum; quia alias defraudaretur Deus eo tempore, quo votum differtur: atqui etiam sic defraudaretur sponsa, vel sponsus; ergo.

R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est, quia in primo casu creditor est Deus, qui semper censetur petere executionem voti: quia hanc nunquam solet urgere expresse; nec aliunde est ratio, cur non exigat statim, dum est commoda voti implendi occasio: e contra in secundo casu creditor est homo, qui exigere potest, et expresse exigere solet, dum vult debitum solvi; unde est ratio censendi, eum consentire dilationi solutionis, dum hanc non exigit, licet commode exigere posset.

206. *Dico V.* Sponsalia ad exigentiam partis alterius implere nolens sine justa causa, primo monendus est; sique renuat pertinax, per competentia juris remedia a competente iudice per se loquendo potest, et debet compelli. Ita quoad rem Doctores satis communiter.

Prob. ex c. Ex litteris 10. h. t. in quo prius præscribitur admonitio; deinde coactio per censuras. Ratio autem est; quia iudicis officium exigit, ut, quando subditus jus suum petit, hoc illi non neget; sed unicuique, quod suum est, tribuat; ita ut nulla illi injuria, vel damnum contingat: sed qui sine justa causa sponsalia implere renuit, parti alteri injuriam infert; ergo injuste resilientem monere debet, sique monitio non sufficit, cogere per censuras, quæ sunt validiores iudicum ecclesiasticorum sententiæ; imo si opus fuerit, etiam per alias pœnas.

Conf. Si enim hoc servetur in rebus minoris momenti, ut habetur *c. 3. de pactis.* Quanto magis in re tam gravi? Hoc addo ad innuendum, fieri posse, sive illa promissio fuerit jurata, sive simplex; in utroque enim casu fit injuria et injustitia; igitur in utroque casu compelli potest, eo solo discrimine, quod, si promissio jurata fuerit, aut puella sub matrimonii specie deflorata, possit fortius compelli.

Dixi 1º. *per se loquendo;* nimirum si justa causa alia non obstet; obstare autem potest perpetuitas rixarum; si periculum violandæ conjugalis fidei, scandala et similia timeantur, vel prævideantur; timenda autem sunt, si resilientis pertinaciam, nec pœnis induci potuit; tum enim ob nimiam resilientis pertinaciam, expedit ut dimittatur, ad evitanda alia mala, quæ ex coacto, aut solum ficto matrimonio sequi possunt; et majora sunt, quam violatio fidei sponsalibus datæ. *c. Requisivit. h. t.* ubi ratio datur: *cum coactiones difficiles soleant exitus habere.* Nec eo casu actori a iudice

fiet injuria, imo ipsi magis faveret iudex, quia graviora damna ab ipso propelleret.

Dixi 2º. *a iudice competente,* qui privative est Ecclesiasticus, dum de jure et valore sponsalium, et causa resiliendi quæritur.

207. *Si opponas 1º.* Lucrus III. *c. Requisivit* cit. ad sponsalium impletionem ait sponsam *monendam potius, quam cogendam,* eo quod coactiones soleant frequenter difficiles exitus habere; ergo non potest per remedia juris compelli.

R. N. Cons. Vox enim *potius* juxta recentiores interpretes et apud Barbosam in cap. cit. n. 3. idem significat ac *prius;* prius autem etiam juxta nos monenda pars resiliens. Deinde verum est, quod potius monenda sit, quam cogenda, si monitione induci possit ad servandam fidem; nec hoc quæritur; sed illud, an, si monitio nihil proficiat, saltem tunc per pœnas vel intentatas, vel inflictas compelli possit? hoc vero Pontifex cit. cap. non negat; posse vero sic compelli habetur *c. Ex litteris 10. cit.*

208. *Si opponas 2º.* Matrimonia debent esse libera; nec extorta metu gravi *c. Cum locum 14. c. Veniens, 15. de Spons. et Matrim. et alibi.* Sed coactio obest libertati et consensui. *L. Nihil consensui 116. ff. de R. J.* Ergo pars resiliens non potest cogi ad matrimonium per censuras et pœnas.

R. D. Maj. Debent esse libera a metu injuste incusso *C. secus N.* Cum enim, qui fidem per sponsalia dedit alteri, ad eam implendam per nuptias obligetur graviter, intentatio pœnæ ecclesiasticæ, vel hujus inflictio, et ex illa conceptus metus non erit injustus: nec obstat libertati consensus; tum quia sic coactus ipsa promissione matrimonii istius contrahendi necessitatem libero voluntatis suæ consensu sibi ipse imposuit juxta vulgare illud, quo contractus *ab initio voluntatis, postea necessitatis,* propriæ voluntatis consensu inducti esse dicuntur. *L. Sicut 5. c. de O. et A.* Tum quia in juste resilientem metum, quem patitur, sibi ipse intulit, nolendo facere, quod sine gravi alterius injuria omittere non potest; tum quia adhuc eo metu se liberare potest, injuriam removendo.

ARTICULUS II.

DE ARRHIS ET PœNA SPONSALIBUS APPOSITA.

209. Arrharum nomine hic veniunt eæ res, quæ sponsæ a sponso, aut vicissim, dantur *expresse* veluti in pignus futuri matrimonii, ut, si nuptiæ fuerint secutæ, repeti possint, sicut pignus soluto debito; si vero nuptiæ non sequantur ob culpam unius, datam fidem violentis (nam secus est, si non sequantur ob justam causam) is, qui fidem violaverit, datas perdat. *L. Mulier 5. c. de Sponsal. et Arrh.* Dixi: *expresse,* nam si tradantur simpliciter, sine mentione arrhæ, tales non præsumuntur, sed potius sponsalitia largitas, aut jocalia. *Arrha* differt præcipue a pœna simplici, quam contrahentes adjiciunt subinde sponsalibus, quod ex dispositione legis, saltem regulariter, *tradi* arrham oporteat, in pœna sufficiat promissio.

Verius et communius docent auctores; arrhas apponi posse in quavis